

4. Bibliographie der Schriften

**Breuis & Iculenta INSTITUTIO Rudioribus, Qui omnem
Christianismi culturam in sacrosancto DEI verbo fundare
enixe cupiunt, Rationem tradens Sacram ...**

Francke, August Hermann

S.I., 1709

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Breuis & luculenta
INSTITUTIO
Rudioribus,

*Qui omnem Christianismi culturam
in sacrosancto DEI verbo
fundare
enixe cupiunt,*

Rationem tradens

Sacram

SCRIPTURAM

*in veram sui ædificationem
legendi.*

Tanta est Christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenuo conarer addiscere. *S. Augustin. Ep. III. ad Volusian.*

Anno M DCC IX.

INSTITUT
FÜR

URBANISTIK
UND STADTBAU

AN DER UNIVERSITÄT
DARMSTADT

LEHRSTUHL FÜR
URBANISTIK

UND STADTBAU

AN DER UNIVERSITÄT
DARMSTADT

LEHRSTUHL FÜR
URBANISTIK

AN DER UNIVERSITÄT
DARMSTADT

WINTERBERG



Dilectissimis Filiis in fide,
iisque Nouitiis,
Salutem dicit Auctor!

Potest quia, Charissimi
Euangelium audiuistis, id-
que credentibus vobis vir-
tus Dei fuit in salutem, ni-
hil vobis magis necessari-
um ac salutare iudico, quam ut sacras
litteras diurna nocturnaque manu verse-
atis, quæ vos in dies reddant sapientiores
ad salutem per fidem, quæ est in Chri-
sto Iesu. *Omnis enim Scriptura divini-
tus inspirata utilis est ad docendum, ad
argendum, ad corripiendum, ad erudi-
endum in iustitia: ut perfectus sit homo
Dei, ad omne opus bonum instrutus.* 2 Tim.
III, 16. 17.

Quam, quælo, isthuc est eximum;
quod Spiritus S. vobis pollicetur, si lege-
ritis, ac recte quidem & constanter lege-

ritis & didiceritis Scripturam Sacram! Et enim ille in verbis modo adductis spondet fore, ut euadatis perfecti homines Dei, ad omne opus bonum instructi.

Quamobrem, quum fidelis hic sermo sit, & omni acceptione dignus, non tantum ad legendas scripturas vos commonefaciendos, quo nihil facere soleo frequentius, sed de via & ratione quoque illas recte & salutariter legendi, breui hac sed luculenta institutione docendos esse credidi. Quæ vobis eo debet esse gratior opera, quo breuius & simplicius ea rem omnem expedit, ipsique Spiritus veritatis ductus minime fallaci vos citra remoram permittit ac tradit,

Agite dum igitur, ex animi sententia hisce pagellis perfruamini. Id quod ut ex meo etiam voto h. e. abundantissime fiat, addo vobisque idemtidem relegenda commendo sequentia verba Auctoris Epistole ad Fratres de Monte Dei: "Cer-
tis horis certæ lectioni vacandum est.
"Fortuita enim & varia lectio, & quasi
"casu reperta, non ædificat, sed reddit
ani-

"animum instabilem: & leuiter admissa,
"leuius recedit a memoria. Sed certis
"ingeniis immorandum est, & assuefaci-
"endus est animus.

"Quo etiam spiritu scripturæ factæ
"sunt, eo spiritu legi desiderant, ipso et-
"iam intelligendæ sunt. Nunquam in-
"gredieris in sensum *Pauli*, donec vfu-
"bonæ intentionis in lectione eius, &
"studio assiduæ meditationis, spiritum
"eius imbiberis. Nunquam intelliges
"*Danid*, donec ipsa experientia ipsos Psal-
"morum affectus indueris. Sicque de
"reliquis. Et in omni Scriptura tantum
"distat studium a lectione, quantum a-
"micitia ab hospitio, socialis affectio a
"fortuita salutatione.

"Sed & de quotidiana lectione aliquid
"quotidie in ventrem memoriae demit-
"tendum est: quod fidelius digeratur: &
"sursum reuocatum crebrius ruminetur;
"quod proposito conueniat, quod inten-
"tioni proficiat, quod detineat animum,
"ut aliena cogitare non libeat.

"Hauriendus est sæpe de lectionis se-

rie affectus, & formanda oratio, quæ
 lectionem interrumpat, & non tam im-
 pediat interrumpendo, quam puriorem
 continuo animum, ad intelligentiam le-
 ctonis restituat.

Intentioni seruit lectio. Si vere in
 lectione Deum querit, qui legit; omnia,
 quæ legit, cooperantur ei in bonum, &
 captiuat sensus legentis & in seruitutem
 redigit omnem lectionis intellectum in
 obsequium Christi. Si in aliud decli-
 nat sensus legentis, omnia trahit post
 semet ipsum, nihilque tam sanctum,
 tam pium inuenit in Scripturis, quod
 seu per vanam gloriam, seu per distor-
 tum sensum, seu per prauum intelle-
 ctum non applicet vel malitia vel va-
 nitati. In omnibus enim Scripturis le-
 gendis initium debet esse timor Domi-
 ni, ut in eo primo solidetur intentio
 legentis, & ex eo ordinetur, & exsur-
 get totius lectionis intellectus & sensus.

Hactenus Auctoris memorati verba,
 quæ habentur in Oper. S. Bernhardi Tom.
 V. p. 92. n. 31. Ad vos iam attinet, illi
 sapi-

Sapientissime ista omnia monenti luben-
tissime obtemperare. Valete.

I.

Quisquis refum diuinuarum parum ad-
huc peritus, sacrum tum veteris tum
noui Testamenti Codicem ad sui æ-
dificationem in Domino legere aggredi-
tur, omnem adhibeat cautionem, nece-
se est, ne falsum fundamentum aut finis
non legitimus Sacræ Scripturæ legendæ
in animo suo forte lateat. Nam Scribae
ac Pharisæi etiam legerunt Scripturæ li-
bros, neque tamen verum inde fructum
perceperunt. Vitam enim æternam se
in ipsis (legendis) habere putabant, ad
Christum vero, ut vitam haberent, ve-
nire solebant. Ioh. V, 39. 40.

Adulterinum vero fundamentum est,
atque iniustus finis, si quis Sacram Scri-
pturam propterea legit, ut tempus tan-
tummodo transmittat, & historiis passim
in ea obuiis animum aliquo modo oble-
ctet.

Illegitimus item finis est, si quis Sacri

A 4

Co-

Codicis lectione, tanquam opere quodam externo defungitur, extra omnem ponens dubitationem, se firmissimum iam vitæ Christianæ iecisse fundamentum, ideoque ex abundanti velut consuetudinem unum & alterum caput legendi mane ac vesperi obseruat, sibique persuadet, bonum Deo gratumque præ ceteris opus sic esse præstitum: qui mos multorum hominum est ex diligenti Sacrarum litterarum lectione in se solatium sibi fingenium, quorum tamen mens omnisque vita a verbo diuino penitus dissentit, nec veri proinde solatii capax est.

Neque satisfit officio hominis Christiani, si quis modo eum in finem Sacram Scripturam aggrediatur legendam, ut rerum diuinarum fiat peritus, multumque scientiæ sibi acquirat, nec solicitus sit, ut sui ipsius amorem, ambitionem & id genus alia vitia agnoscat, & opitulante diuina gratia ex animo reuellat.

Multorum certe litteratorum hodie in sola scientia scopus desigitur, quippe qui legis doctores esse volunt, non intel-

ligen-

ligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant 1. Tim. I, 7. Immo perversissima plerorumque consuetudo est, in Sacrarum litterarum tractatione maiorem operam atque industriam nauare quæstiunculis inutilibus vel mysteriis profundis, quam solido poenitentiæ ac fidei fundamento.

Hocce iam commemoratos aut similes respectus si quis in legendō Sacro Codice sive queat, is cum omni sua eruditione theologica damnari potest, licet vniuersam Scripturam memoria teneat.

2.

Sacra itaque Biblia homo rudior lecturus, cor vere simplex & sincerum, ac non fucatum animi desiderium adferat, ut ex sacris litteris instruatur ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu 2 Tim. III, 15. atque ut fides sua vitæque ratio ita sit comparata, quemadmodum eam in Scriptura Sacra ipse Deus præscribit. Paucis dicam, quæ volo. Unicus tibi atque genuinus hic scopus esto Sacram Scripturam lecturo, ut fidelis atque pius

Christi discipulus euadas, non secundum speciem, sed in vera virtute atque efficacia, adeo, ut certus sis, te in hac vita Deo benignissimo' placere, & in futura æterno cum gaudio eius participem redditum iri.

3.

A precibus initium hic fieri necesse est, poteritque homo Christianæ simplicitatis studiosus ante, quam ad Sacrae Scripturæ lectionem pergit, non labiis tantum atque ore, sed ex animo deuotione pleno, hac vel simili forma Deum compellare:

O æterne ac viue Deus, qui poterimus grata satis mente complecti beneficium illud eximium, quod sanctissimam tuam voluntatem tam clementer in verbo tuo nobis patefeceris, vt, quomodo fidem concipere, & pii ac beati euadere debeamus, cognoscere exinde nobis licet ! Largiaris itaque Spiritum tuum Sanctum, qui oculos mihi aperiat, vt videam mirabilia in lege tua : qui per verbum tuum fidem operetur in corde meo,

meo, eamque augeat: qui voluntatem
meam efficaciter flectat, quo testimonia-
tua in deliciis habeam, atque ex toto a-
nimo in te credam, ac debitam obedi-
entiam præstare annitar.

4.

Similiter fas est, Sacrae Scripturæ le-
ctionem cum continuis precibus ac su-
spiriis coniungi, ac inter legendum De-
um laudari a nobis ac celebrari. Sim-
plicissima enim hæc est ratio, certissimos
exinde maximosque nunquam non perci-
piendi fructus.

Quam rem exemplo nunc declara-
tum ibo: Gen. I, 1. scriptum est: *In prin-
cipio creauit Deus cælum & terram.*

Hæc verba legenti forte in mentem
veniunt piæ quædam cogitationes, ut e-
iusmodi suspiriis animus se ad Deum con-
vertat.

O æterne Deus! gratias Tibi ago, qui
me per verbum tuum docuisti, cui cœ-
lum ac terra suam debeant originem.

Vel: Ah duleissime Pater, qui es in
cœlis! quum oculos in cœlum attollo,

eosdemque in terram defigo , reuoca in
 mentem mihi hoc verbum tuum diuinum ,
 ut cœli Te terræque conditorem colere
 atque inuocare ne obliuiscar .

Vel : Bone Deus , quia cœlum ac ter-
 ram creaſti , omnino melior es ac præ-
 ſtantior , quam cœlum & terra . Quare ,
 fi te posſideo , cœlum & terram nihil
 moror .

Vel : O Deus ! omnino tu Pater es ,
 ex quo omnis paternitas in cœlis & in-
 terra nominatur , qui cœlum & terram
 creaſti .

Ah doce me , ſingulis momentis rite
 perpendere , quantum & meum corpus
 mortale , particula illa terræ , conditorem
 ac fabricatorem habeat .

Vel : Mi Pater in cœlis ! qui posſem
 in posterum de corporis mei conſeruatio-
 ne angi , quum te inuocem Patrem , qui
 cœli terræque creator es .

Hac ratione ad quemlibet Sacrae Scri-
 pturæ versiculum ſubſttere potes , atque
 vt Doctoris cuiusdam Ecclefiaæ verbis
 vtar , ſingulos excutere furculos , num-
 forte

forte fiat, ut aliquot bacculæ decidunt.

Quodsi hæc res difficultatem quan-
dam initio habere videatur, nec medita-
tio statim in animo suboriatur, quæ ia-
culatoriæ precatiunculæ materiam præ-
beat: ultra progredere, atque alium qua-
si ramusculum tenta. Acriter modo
efuriat anima: non vacua relinquetur a
Spiritū Dei. Quid? quod apparebit
tandem, tot vni eique breui versiculo
fructus inesse sapidissimos, vt ad eum,
tanquam arbuseulam fructibus onustam
deinceps considere ac morari homo non
sit grauaturus.

Qui vero inter initia absterretur, im-
parem se esse huic labori, nec Scriptu-
ram Sacram hoc modo legere posse ra-
tus, ipse est in culpa, si per totum vitæ
cursum nullam voluptatem atque dele-
ctionem ex facris litteris capiet,

5.

Precationi meditatio vberior subueni-
at, necesse est; vt quoquis loco consi-

A 7 stas,

tas, diligenterque animo omnia reuol-
vas.

Haud inconcinne nonnemo in peri-
copen Euangelicam in Natalitiis Christi
explicari solitam commentatus, "Euan-
gelium hoc, inquit, tam clarum, tam
perspicuum est, ut verbosiore non in-
digeat explicatione: probe tantummo-
do id inspiciendum, considerandum at-
que in animum alte demittendum est.
"Nec quisquam exinde plus utilitatis re-
portabit, quam qui animo, est quieto,
rebusque omnibus posthabitatis, summa
cum attentione illud intuetur: quem-
admodum sol in aqua tranquilla claris-
sime conspicitur, eamque efficaciter ca-
leficit, qui in vndis fluentibus atque
strepentibus non ita potest videri nec
vim caloris exserere. Quare & tu, si
illuminari hie cupis, & gratiam diui-
nam atque miracula obseruare, quo cor
tuum ardens, illuminatum, deuotum ac
hilare euadat: secede, ubi quiescas, e-
amque imaginem animo tuo firmiter
impri-

"imprimas; sic alia ex aliis miracula tibi
"patefient.

Atque hoc quidem in omni totius Sacrae Scripturæ lectione obseruandum est. Quodsi oculis tantum, non attendente animo, perlegatur caput aliquod, eoque peracto, liber claudatur, &, quæ lecta, statim ex memoria elabantur: quid mirum, si Bibliis Sacris aliquoties etiam perlectis pietatis tamen ac deuotionis incrementum non sentias?

Preces ac Meditatio innicem sibi succurrant, necesse est. Si meditatio hæreat, preces fundito; &, si preces non succedant, verba aliquantum meditator. Ex precibus meditatio orietur atque augebitur, & per meditationem ad preces excitaberis. "Nemo, inquit *S. Bernhardus* *, repente fit summus: ascendendo, "non volando apprehenditur summitas "scalæ. Ascendamus igitur, duobus "veluti pedibus, Meditatione & Oratione. Meditatio siquidem docet, quid desit: Oratio, ne desit, obtinet. Illa viam

*. Tom. II. p. 156. n. 56.

"viam ostendit, ista deducit. Meditatio-
"ne denique agnoscimus imminentia no-
"bis pericula: Oratione euadimus, præ-
"stante Domino nostro Iesu Christo.

Et alibi * "Oratio & Meditatio con-
"iunctione necessaria sibi adinuicem co-
"pulantur. Et per Orationem illumina-
"tur Meditatio: & in Meditatione exar-
"descit Oratio.

Et ibidem, ** "O beata Conuentio,
"quam adinuicem susurrant Oratio &
"Meditatio.

Qui hæc S. Bernhardi monita probe
nouerit in lectione Sacri Codicis obser-
vare, nunquam is sine magna vtilitate Sa-
cram Scripturam leget.

Isthuc exemplo paululum illustrabo.
Gen. I. 2. Terra autem erat inanis & va-
cuæ, & tenebre erant super faciem abyssi:
& Spiritus Dei ferebatur super aquas.

Meditatio. Ut Deus ille mirabilis
eadem ab initio vias tenuit, in eo po-
tissimum gloriam suam ostendens, quod

ex

* Tom. V. p. 260. n. 2.

** n. 5.

ex nihilo aliquid, ex vasto ac deformi pulcrum & formosum, ex miserabili magnum quid & conspicuum producit: ita in nominis ipsius sanctissimi gloriam cedere debet, quod terra fuit *inanis* & *vacua* ante, quam ab illo formata est, ac pulcra & fœcunda reddita.

Precatio. Ah carissime Pater, hæc verba erigunt me atque confirmant, quando miseriā meā, ac deperditam conditionem intueor. Fac modo, ut insitam mihi atque innatam perniciem recte agnoscam. Hoc facto, nullum mihi est dubium, fore, ut mei miserearis, atque efficias, ut Christi imago in me formetur, quo formosus in conspectu tuo appaream. Lacrimas pœnitentiæ propter peccata mea lubens effundam; feratur modo super has etiam aquas Spiritus tuus.

Hæc vero meditantes nostri ipsius explorationem negligere nequitquam debemus, quo ex verbo diuino cordis nostri malitiā recte agnoscamus, totaque mens nostra

nostra ad salutaris doctrinæ exemplar for-
matur.

6.

Quemadmodum autem Sacrae Scriptu-
ræ lectio inchoanda precibus est, iisque
continuanda: ita precibus eam finire et
iam debemus.

Finita itaque lectione, hac vel simili-
tatione Deus compellari poterit:

O fidelis, qui in cœlis es, Pater! laus,
gloria, honor ac gratiæ sint tibi submis-
so animo oblatae pro ingenti hoc benefi-
cio, quod verbi tui diuini dulcissimo
manna animam meam refecisti, corro-
borasti, refocillasti. Inscrive nunc o-
mnia, quæcunque legi, diuino dígito
Spiritus tui sanctissimi in cor meum, eo-
demque obsigna illa: ne Satanás ex ani-
mo meo ea rursus auferat, sed ut in bo-
no ac puro corde ea conseruem, iisque
in futura vita coram facie tua læter. A-
men!

Proderit etiam maximopere lectione
finita, ea, quæ lecta sunt, dum in me-
moria

moria recenti harent, precibus comprehensa quasi Deo reddi.

7.

Nec Deus, qui fidelis est, eiusmodi deuotum Sacræ Scripturæ lectorem expertem relinquet internæ externaque crucis variarumque calamitatum ac tentationum, utpote quæ pretiosissimum amoris ipsius pignus sunt, quo vnigenito ipsius filio in hac vita conformes reddimur.

Atque hæc quidem dulcisima crux validissimum est adiumentum Sacram Scripturam intelligendi, immo potius guttandi ac sentiendi.

Precatio, meditatio, tentatio tres illæ partes sunt, quæ verum efficiunt Theologum.

Simul atque aduersi quid tibi accidit, siue interius, siue exterius, præceptorem adesse memento, examinaturum te, quidnam ex Sacra Scriptura didiceris. Illico igitur quære dictum, quod calamitati tuæ ac desiderio conueniat. Si nullum in-

promi-

promtu habes, recurre statim, vbi occasio permittit, ad Sacra Biblia, ac lege Psalmum quendam, aut quo animus te deuotus fert: & mox reperies, quo corroborari possis. Merito tamen multa egregia Sacræ Scripturæ dicta quasi thesaurum ad manus semper habere debes, ne longe querendum sit, si quando eorum aliquo opus tibi fuerit. Quod si ergo dictum aliquod occurrit, cogitationes tuas precibus, faltem suspiriis, ab externa calamitate retractas ad dictum illud dirige, idque in animo tuo cum deuotione perpende: O! quam eximius aquivuentis fons tibi hic monstrabitur! quanto accuratius id intelliges sub cruce, quam ante crucem!

Hoc autem tibi persuadeas, nullam temptationem, quam diabolus ac mundus tibi struit, a te victum iri, nisi aduersus peccata strenue pugnaueris. Verbum itaque Dei sit tibi gladius Spiritus, vti Paulus vocat Eph. VI. 17. Quoties ergo Biblia in manus sumis legenda, toutes cogitabis, gladium quasi tibi arripendum,

endum, immo, ut ita loquar, acuendum
esse ad peccata, quæ tibi semper adhærent,
teque lassum reddunt, maiore, quam ad-
huc factum est, vi atque virtute debellan-
da atque superanda.

Quem in finem diligenter, quæ legis,
observa; attende, qua ratione modo e-
rudiaris, modo exciteris, atque erigaris,
modo præmonearis, modo reprehenda-
ris, modo solamine firmeris: adhæc sta-
tum cordis tui semper respice, tuasque
cogitationes & cupiditates, verba tua at-
que facta, quæ animum memoriarnque
subeunt, ante Sacram Scripturam, tan-
quam speculum perpolitum, colloca; a-
nimi interim desiderium semper ad De-
um dirige, eum implorans, vt mens tua
ad eum statum perducatur, tuque talis
fias, qualem verbum ipsius sanctissimum
te esse cupit, nec recede a lectione bi-
blica, nisi prius, strenuo saltem deside-
rio ac precibus, de nouo ad fidem te
excitaueris, ad amorem inflammaueris,
in spe confirmaueris atque stabiliueris.
Quo inter lectionem Bibliorum facto gla-
dius acuefactus est ad prælium. Et

Et quoniam singulis momentis in eo periculo versaris, ut non a diabolo solum & mundo, sed etiam a carne ac sanguine tuo in pugnam prouoceris: paras tuus esto ad congregendum cum hoste, id est, peccato intra te tumultuante; & quidquid veritatis diuinæ ad tui corroborationem in fide diuinaque vita animus e Scripturæ lectione retulit, armatura tibi sit, qua inter preces ac suspiria cum peccaminosis cogitationibus cupiditatibusque prælieris. Esto interim bonus ac fidenti animo: quoad enim summa cum contentione aduersus peccata pugnaueris, Dominum habes adiutorem, certoque certius victoriam ab iis reportabis.

Vide autem, ut in hoc certamine verso Dei utaris, tanquam gladio ancipiū. Peccatum enim si in cassum te pertentavit a sinistra; a dextra periculum facit. Incredulitatem atque animi abiectionem mox excipit tentatio ad temeritatem: & in omnibus rebus permultum requiritur, ut vera adhibetur discretio. Gladius ita-

Itaque Spiritus vtrinque semper scindat,
necessere est, quo animus tuus intra iustos
verbi veritatis cancellos constanter con-
tineatur, aut statim in eos reducatur.

Denique memento semper, a S. Au-
gustino dictum esse: * "Oculi in tantum
"vident, (in Scripturis) in quantum
"moriuntur huic sæculo. In quantum
"autem huic viuunt, non vident. Ist.
huc verissimum & tanto Viro plane di-
gnum effatum est.

Hinc tu igitur, qnisquis es, sapienter
animum instituas ad cogitandum, quid
requiratur præcipue, si studio scriptura-
rum proficere in veritatis cœlestis agni-
tione, & secretum Domini atque interi-
ora velaminis reuelari tibi cupias.

Agedum, huc preces, huc meditatio-
nem, huc certamen, huc curas tuas con-
feras omnes, hoc dies noctesque cogi-
tes & per auxilia gratiæ agas, ut sæculo
moriaris ac viuas Deo, seu, ut perpetuæ
mortificationi vetustatis tuae vaces, quo
vita, quæ ex Deo est, noua vires in te
sin.

* Lib. II. de Doctrina Chriſt. c. 7.
fuc

singulis momentis capiat maiores, & ipse
in te viuat ac vitam suam plus plusque exse-
rat Christus, qui est *via, veritas ac vita.**

Hoc siue consilium siue præceptum si-
temere fueris aspernatus, licet industria om-
nem studio Scripturarum impenderis,
aliquando tamen eris inter eos, qui cum
dolore acerbissimo dicturi sunt: *Errauimus*
via veritatis & iustitie lumen non luxie
nobis; & sol intelligentie non est ortus no-
*bis.***

Deus autem Domini nostri Iesu Chri-
sti, Pater gloriae, det nobis Spiritum
sapientiae & reuelationis, in agnitione ei-
ius, illuminans oculos cordis nostri, ut
sciamus, quæ sit spes vocationis eius, &
quæ diuitiae gloriae hereditatis eius in
sanctis, & quæ sit supereminens magni-
tudo virtutis eius in nos qui credimus se-
cundum operationem potentiae virtutis
eius, quam operatus est in Christo, su-
scitans illum a mortuis & constituens ad
dexteram suam in cœlestibus: cui sit glo-
ria & honor nunc & in secula.

Amen.

* *Ioh. XIV, 6.* ** *Sap. V, 6.*